OBSERVATIONES QUAEDAM

DE VIA, QUA PROPRIETATES HEREDITARIAE IN GENERE HUMANO PROPAGANTUR.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS IN ALMA REGIA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE ASSEQUENDOS

SCRIPSIT ATQUE UNA CUM THESIBUS

DIE XXVI. MENSIS IANUARII ANNI MDCCCL

PUBLICE DEFENDET

HENRICUS SIMROCK

RHENANUS.

OPPONENTIBUS:

A. GUENTHER,
E. PETERS, } MED. ET CHIRURG. CAND.
C. WALTER,

BONNAE,

FORMIS CAROLI GEORGII.

MDCCCL.

VIRO ILLUSTRISSIMO

FRIDERICO NASSE,

MEDICINAE CHIRURGIAE ET PHILOSOPHIAE DOCTORI,
REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBLICO ORDIN.,
DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIETAT. LITTER. COMPLUR.
SODALI, EQUITI ETC. ETC.

PRAECEPTORI DILECTISSIMO,

SUMMEQUE VENERANDO

HASCE PAGELLAS

SUMMAE PIETATIS ET OBSERVANTIAE SIGNUM

SANCTAS ESSE VULT

A U C T O R.

Observationes quaedam de via, qua proprietates hereditariae in genere humano propagantur.

'Εγὼ δὲ τί βούλομαι; καταμαθεῖν τὴν φύσιν, καὶ ταύτῃ ἕπεσθαι.
Epictet. Enchirid.
— Naturae imperare parendo.
Baco.

Duae potissimum sunt viae, quae ad detegendas naturae veritates maxime aptae videntur, altera, ut si aliquam opinionem mente concipimus, inquiramus, quonam modo exterioribus rebus et experientia fundata et probata sit, ut eius sive falsitas sive veritas eluceat, altera, ut quam plurima naturae phaenomena observemus, ex iisque quae his sunt communia, abstrahamus, et tanquam probatam veritatem conservemus, nisi novis deinde observationibus, in eadem re factis, aut corrigitur aut refutatur. His rationibus promiscue adhibitis, nonnullas observationes institui cum de causis tum praecipue de via, unde

indoles sive bonae eximiaeque, sive morbosae, e quibus et virtutes et vitia corporis atque animi in genere humano fluxerunt, propagentur et adaugeantur.

I. Pars physiologica.

§. 1.

Ac primum quidem probare conabor, legem illam notissimam in physicis et chemicis disciplinis, nempe partes similes sese fugere [1], dissimiles sese unire, electricitatem positivam fugere positivam, attrahere negativam, et vice versa, singulas materiae particulas eo magis sese coniungere, quo magis inter se differunt, (quod e serie elementorum, quae di-

---

1) *F. Nasse*, Die Isogenesis, ein Naturgesetz. Bonn 1844. Seite 43: Die auf einander wirkenden Dinge fliehen sich, sie stossen sich einander ab, wenn sie sich völlig gleich geworden sind, oder als solche zusammentreffen. Unbeweglichkeit oder Hemmung von Aussen kann sie noch zusammenhalten; sobald sie aber von diesem Zwange befreit worden, folgen sie, zerfliessend, sich verflüchtigend, der Richtung, die sie von einander entfernt.

citur electrochemica, satis elucet) eandem legem etiam in genere humano adesse, ita ut necesse sit eas semper nationes ingeniosissimas et excellentissimas esse, quae diversissimis et dissimillimis inter se elementis constant. Quod quum iam ex analogia opinari liceat, quum iisdem legibus natura progredi soleat, sicuti e scriptura sacra, quae matrimonia inter affines omnino vetat, tum experientia firmatur. Ita Romani originem habuerunt e stirpe mixtissima, quum Romam [2]) turba omnis sine discrimine perfugeret, iique praeterea uxores ex alienis gentibus sumerent, ita ut naturae, dispositiones, indoles diversissimae sese coniungerent. Quae res magni momenti est ad explicandam Romanorum magnitudinem gratasque ingenii et valetudinis dispositiones. Ita praeterea Graecorum primordia barbarorum (i. e. alienorum) immigrationibus ex Aegypto, Phoenicia, Phrygia, aliis regionibus insignia. Eodem modo Angli, Americani, homines felicissimae indolis, multorum diversissimorumque ingeniorum confluxu orti sunt. Atque plurimi populi tum optimos in omni genere viros procrearunt, quando cum aliis iisdemque diversissimae animi corporisque naturae gentibus se commiscerent et quasi renovarent [3]). Exemplo adsunt Europae gen-

---

2) Livius I, 8.

3) *Dahlmann*, Geschichte der englischen Revolution: Unser Glaube an den geistigen Vorzug der reinen, ungemischten Bevölkerung ist ein werthloser Aberglaube. Schon Attica und Rom widerlegen ihn.

tes migrationum tempore, medii aevi initio, Itali eo tempore quo eruditi Graeci, e patria expulsi, immigrarent, Hispani postquam Arabum et Maurorum sanguis et indoles iis se communicavit. Contra apud Caraibos, incultam et barbaram gentem, frater cum sorore, *Burdach* teste [4]), matrimonium init. Eodem modo *Burdach* [5]) refert: „Der Stamm der Türken und Perser hat nur dadurch an Schönheit gewonnen, dass er seit Jahrhunderten mit mingrelischen und circassischen Frauen sich vermischt hat." Et Chinesi, qui nullum cum aliis stirpibus commercium exercere volunt, et inter semet ipsos nubunt, illis tantum temporibus viros excellentis indolis procrearunt, quibus cum Mongolis, Tartaris, aliis, bella gererent, cum iisque matrimoniis creberrimis sese coniungerent. *Pallas* [6]) scribit de liberis, qui ex connubiis Russorum cum Mongolis, qui omnino in constitutione corporis inter se differunt, oriuntur, hoc modo: „Ces enfans ont d'agréables et quelquefois de superbes figures, tandis que ceux d'origine purement Mongole conservent une figure difforme et boufflé, un aspect cacochyme." — *Esquirol* dicit alienationem mentalem imprimis inter Catholicos in Anglia existere, quia semper inter sese connubia concludant, sicuti inter

---

4) Physiol. I, S. 518.

5) Physiol. I, S. 516.

6) *Pallas*, Mémoire sur les tribus Mongoles. Mém. du Muséum, 1828.

patricios quoque in Gallia, quippe qui plerumque consanguinei inter se fiant. *Prichard* [7]) ita rem effert: „It may be observed, that, in many instances, the intermixture has produced breeds physically superior to the majority of either ancestral race. This may be remarked in parts of Ireland, where the Celtic population of that island is nearly unmixed; they are in general people of short-stature, small limbs and features; where they are intermixed with english settlers or with Lowlanders of Scotland, the people are remarkable for fine figures, tall stature, and great physical energy.“ Idem dicit alio loco [8]): „In Paraguay the mixed breed is said to be a people superior in physical qualities to either of the races from which they have sprung.“

Atque *Azara* [9]) de iisdem: „Ils me paraissent, ait, avoir quelque supériorité sur les Espagnols de l'Europe, par leur taille, par l'élégance de leurs formes, et même par la blancheur de leur peau. Ces faits me font soupçonner, que le mélange des raçes les améliore.“ *Buffon* [10]) quoque observat: „En mêlant les raçes, et surtout en les renouvellant toujours

---

7) *Prichard*, Researches into the physical history of mankind. I, S. 149.

8) *Prichard*, Vol. I, S. 148.

9) Voyages en Amérique méridionale du *Don Felix de Azara*.

10) *Buffon*, hist. natur. Paris, an 8. Vol. 22, S. 152.

par des raçes étrangères, la forme semble se perfectionner, et la nature se relever et donner tout ce qu'elle peut produire de meilleur." Praeterea *Walker* animadvertit [11]: „It is not only, howewer, in the mingling of distinct races, that we observe an amelioration or improvement in the progeny. Results nearly equal, perhaps, arise from intermarriages amongst different tribes of the same caste. This is exemplified in the striking superiority of the creole negroes, in corporeal and mental powers, compared with their African parents, who came from different tribes. Of the Maroons in the West India Islands, *Dallas* observes: they displayed a striking distinction in their personal appearance, being blacker, taller, and in every respect handsomer than those on the estates. In their person and carriage, erect, lofty, indicating a consciousness of superiority, vigour appeared in their muscles, and their motions displayed agility. They possessed most, if not all, of the senses in a superior degree."

Nec tamen in universis populis modo utilitatem variae mistionis ad progredientem perfectionem generis humani videmus, verum etiam in singulis familiis, ita ut affirmare audeam, eo magis liberos ad summam perfectionem indolis et eximii ingenii accedere, quo magis in parentibus diversitas exteriorum et interiorum qualitatum apparet, ita ut in matrimo-

---

11) *Walker*, on intermarriage. Seite 364. London 1838.

niis sicuti in amicitiis [12]), non aequalitas virtutum, sed potius diversitas quaerenda sit, ut invicem sese quasi compleant coniuges, et cuius alter egeat, id alteri adsit. Nec re vera observamus, ambitiosum nubere ambitiosae, superbum superbae, imperiosum imperiosae, verum diversissima inter se ingenia firmissimas ineunt amicitias et nuptias. Quo fit, ut horum liberi qualitates diversissimas in se coniungant, et ita perfectiores reddantur. Sed quum saepissime difficillimum sit iudicare, si quae adsit diversitas ingenii inter coniuges, fortasse operae pretium erit, quaedam symptomata indicare, quibus diversitates optime cognosci possunt. Et mea quidem observatione tum liberi ingeniosissimi procreantur, si parentes diversos et capillos et oculos possident, ita ut pater capillos flavos et oculos caeruleos, mater capillos nigros et oculos nigros habeat, aut vice versa, ita ut natura septentrionalis, ut ita dicam, cum opposita australi coniungatur. Nam hoc modo alterum elementum altero quasi optime significari et manifestari potest. Cuius rei, quamvis primo aspectu paradoxa videri possit, innumera tamen exstant exempla. Ita in *Curtio* legitur, Olympiam, Alexandri Magni matrem, fuisse filiam barbaram, id est, alienae gentis. Quo verisimile est, ipsam alio et diverso habitu et facie fuisse, quam patrem, Philippum graecum.

---

12) Wirst du deines Gleichen kennen lernen,
So wirst du dich gleich wieder entfernen.

Göthe.

Quod etiam eo confirmatur, quod in *Curtio* ipso narratur, Alexandrum Magnum oculos varios habuisse: „nam laevus glaucus fuisse traditur, altero nigerrimo.“ Quo elucet, parentes diverso oculorum colore fuisse. Nemo enim filio impertire potest, quod aut ipse aut mater non habet. Simile aliquid narratur a biographicis de Napoleone, Arabicam praeterea sanguinem secum ducente, de Carolo quinto imperatore, de Goethio, Schillero, uno verbo de omnibus fere viris celeberrimis, ita ut concludere possimus, horum parentes diverso capillorum, aut certe oculorum colore fuisse. Saepissime etiam immigrationes ad procreandos viros ingeniosos aptissimae. Ita Spinoza, Hebraeus, parentes habuit Hispanicos, ipse in Batavia natus est. Dr. *Francia*, imperator Paraguayae patrem habuit Gallicum, matrem Hispanicam. Montaigne, Anglica origine, in Gallia natus est. *Parny*, *Alex. Dumas*, patres habuerunt Creoles. *Heineus* poeta patrem Hebraeum, matrem Christianae gentis habuit. Mater Themistoclis orta erat e Caria, mater Demosthenis e Scythia, mater Iphicratis et Timothei e Thracia. Huiusmodi exempla unusquisque permulta invenire poterit, ita ut coniicere liceat, varius generis qualitates miscendo progeniem optimam procreari. Diversitas igitur consideranda est. Neque vero affirmaverim, oculos et capillos tantummodo in coniugiis instituendis differre debere, verum omnino totius corporis structuram, exempli gratia, ut alter coniux sit albida magis et tenui, alter magis obscuriore et densiore cute, et quae sunt eiusmodi; sed

quum capilli oculique optime animadverti possint, idcirco eos commemoravi. Atque si unusquisque attentionem parentibus advertere velit, ubicunque liberos vivaces et ingenia sublimia et bonas indoles videbit, facile illius sententiae veritatem sibi persuadebit.

§. 2.

Transeo igitur ad aliam observationem. Alter parens, sive pater, sive mater, liberis anteriorem partem capitis tribuit, alter posteriorem; alter organa vitalia, absorptioni, circulationi, secretioni inservientia; alter organa motus, id est, ossa, ligamenta, musculos. Hac de re primum refert *Knight*, Anglus, imprimis autem *A. Walker* in libro eius cui titulus est: Intermarriage. London 1838. Ibi adducuntur exempla nonnulla, quibus nostra illa sententia luculentissime probatur; sicuti Napoleon et Maria Ludovica eorumque filius; tum Victoria, regina Angliae eiusque parentes, quorum omnium effigies in libro ipso expressae sunt. Plerumque pater systema locomotivum, mater systema vitale tribuit, sed interdum, et quidem in viris effeminatis, cum uxoribus, qui virilem magis habitum produnt, coniunctis, contrarium evenit. Observatur etiam, ut, quando facies a superficie conspecta similis est altero parenti, facies a latere conspecta similis sit altero. Praeterea certa organa affinitatem quandam inter se habere videntur. Ita os cum auribus, nasus cum oculis saepe convenit. Atque imprimis mirum est, eum parentem, qui systema locomotivum tribuit, non dare una modum

incessus, qui immo ab altero parente transfertur, qui sensum et organa vitalia tribuit, ita ut hic sensum tanquam regulatorem aliquem motus existimare liceat. —

§. 3.

Patris et matris vires in liberis per omne tempus dum vivunt, mixtae sunt et confluunt, sed ita ut, imprimis circa pubertatis tempus, tum patris, tum matris, ut ita dicam, principium praevaleat, ita ut liberi tum ad patris, alio tempore ad matris similitudinem propius accedant. Cuius sententiae prima pars per se elucet. Nam sicut generatio nonnisi duarum virium confluxu fieri potest [13]), sic etiam generatus duas illas continuo usque ad vitae finem conservat, et quando altera languescit et deletur et cursum in tempore et spatio perfecit, mors adest. Sed interdum evenit, ut elementum, vis et quasi idea patris maternum elementum superet et antecellat: tunc etiam materiae organicae particulae ad ideam paternam magis quam maternam componuntur, atque ideo vultum et habitum patris magis referunt. Simile aliquid evenit, quando e contrario maternum elementum et idea superat ideam patris, ubi maternus quoque habitus apparet. Pubertatis autem tempore, quando natura hominis nondum fixa et stabilita est, transeuntem illam et alternantem cum altero parente similitudinem maxime videmus.

13) Semper enim partus duplice de semine constat. Lucret. de rerum natura. IV, 1222.

§. 4.

Filii in universum magis ad matris, filiae ad patris similitudinem accedunt. Hoc iam antiquis notum erat. Dicit enim *Lucretius*: (de rer. nat. IV, 1220)

Et muliebre oritur patrio de semine saeclum,
Maternoque mares exsistunt corpore creti.

Videtur enim hanc sententiam solummodo a similitudine filiarum cum patre et filiorum cum matre cepisse. Ipse ex observationibus in hac urbe et aliunde illud probare possum. Sunt tamen permultae exceptiones, ita ut tanquam regula affirmari nullo modo possit. Quidam volunt patrem in universum liberis nervos, spiritum et voluntatem, matrem nutritionem, et ita patrem magis mentem, matrem corpus tribuere. Qua in sententia si quid veri inest, saepissime tamen alterum altero modificatur et mutatur; immo multi iidemque celeberrimi viri inveniuntur, e. gr. Pitt senior, Walter Scott, Byron, Goethe, qui modum ac rationem cogitandi a matre, non a patre accepisse videntur.

§. 5.

Illud vero maxime considerandum esse puto, viris scientia, eruditione, optimis denique mentis virtutibus praeditis, rarissime nasci liberos eodem modo insignes, immo hi interdum ne scintillam quidem nec vestigium ingenii patris referunt. Etiam hoc antiquis notum erat; qua de re praeclare *Homerus* (Odyss. II, 276):

Παῦροι γάρ τοι παῖδες ὅμοιοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Nam quamquam non nescio esse quasdam exceptiones, veluti Hippocrates, Scaliger, Hemsterhusius, Bernouilli, Pitt, Cassini, Bach, Crébillon, quorum virorum patres non minus quam ipsi praestantissimi sunt, ubinam in filiis Napoleonis, Cromwellii, Schilleri, Shakspearii, est ignis et inspiratio et afflatus quodammodo divinus patris. Odiosum est afferre exempla e nostro tempore: nam quisque omni die plura colligere potest. Afferam causas. Primum viri ingeniosi, sive in re publica administranda, sive in litteris et bonis artibus, sive in re domestica, imperii exercendi cupidissimi sunt. Quare uxores eligunt saepe minoris indolis et ingenii, ut superiores iis esse queant et earum admirationem excitare. Secundo ipsi illi viri praeclari nimiam mentis agilitatem, celeritatem et inquietem possident. [14]) Optimus enim corporis succus, semen virile, studio et industria maxime ad cerebrum, minus ad genitalia perducitur, ita ut illud horum quasi damno nutriatur. Nam semen, quo non utimur, resorbetur, et inclinationem in dies maiorem ad cerebrum accipit. Ita ad

---

14) *Montaigne*, Essais, II, 12: Et d'où vient ce qu'on trouve par expérience, que les plus grossiers et plus lourds sont plus fermes et plus désirables aux exécutions amoureuses, et que l'amour d'un muletier se rend souvent plus acceptable, que celle d'un gallant homme, sinon qu'en celui-ci l'agitation de l'âme trouble sa force corporelle, la rompt et lasse?

perfectionem singulorum, non generis adhibetur. Tertio viri illi legem illam in §. 1. explicatam aut non cognoverunt aut non observant. Denique plerumque una modo est affectio vehemens, quae virorum celeberrimorum ingenium commovet. Sive haec sit ambitio, sive cupiditas famae, gloriae et honoris, sive divitiarum aviditas, sive veri et honesti doctrina, semper ardor et constantia amoris coniugalis diminuitur et debilitatur. Nam definitio est negatio, et definitio ambitionis, est amoris physici ingentis negatio.

§. 6.

Itaque liberi extra connubium geniti, id est, naturales, interdum summum praebent ingenium, eoque liberis ut ita dicam artificialibus, qui iustis nuptiis orti sunt, antecellunt, e. gr. Galilei, Erasmus, Boccacio etc. etc. Ita igitur effert Shakspeare, (King Lear):

Who, in the lusty stealth of nature, take
More composition and fierce quality,
Than doth, within a dull, stale, tired bed,
Go to the creating a whole tribe of fops,
Got 'tween asleep and wake! —

Nam amoris ardor, quo maior in parentibus adest, maiorem vigorem liberis tribuit. Hic porro augetur variis difficultatibus, quae amantibus obiiciuntur, rei publicae institutis, hominum opinione, suspicione, invidia, vigilantia. Sic mentem acuere solent amantes, artificio et dolo adhibito, ut opinionem publicam fal-

lant. Et quum, quo maius impedimentum est, eo magis amor firmari soleat, fieri non potest, quin liberi ita exorti interdum excellentiores fiant, quam ii, qui in secura quadam animi corporisque indolentia et licito coniugio machinaliter quodammodo procreantur. Praeterea naturales liberi ipsi, quum a prima inde infantia auxilio alieno plerumque indigeant, ad meditationem, laborem, strenuitatem, incitantur, quo ingenium mirum in modum excolitur.

§. 7.

Virtutes et vitia eo facilius hereditaria fiunt, quo saepius filius eandem quam pater, init conditionem vitae. Nam consuetudo est altera natura, et quod *Peart* [15]) de nervo aliquo singuli hominis dicit, magis generaliter etiam valet, et non modo ad eius cerebri gyros, sed etiam usque ad eius progeniem extendendum esse censeo. In quo igitur genere studii pater aliquid perfecit, in eo perficere aliquid filius

---

15) *Peart*, physiology or an attempt to explain the functions and laws of the nervous system. London. 1798: When the animating principle of a nerve at its origin in the sensorium commune has been repeatedly excited in a certain manner, whenever that nerve is excited to sensation, it will have a tendency to assume that peculiar degree or state of excitement, to which it has been most accustomed, which will, therefore, present the idea, which corresponds to that accustomed sensation.

aptissimus erit. Haec sententia nullo modo excludit eam quam *Liebig* ita profert: „In demselben Grade, als der menschliche Geist an Einsicht zunimmt, die ihm von *irgend einer* Seite aus zufliesst, stärken und erheben sich alle seine Fähigkeiten nach *allen andern* Richtungen hin.“ (Chemische Briefe, Seite 2.) Sed non dubito, quin exempli gratia optimi medici procrearentur, si in aliqua familia sapientissime institutum esset, ut proavus, avus, pater, filius, omnes ad medicinam se applicarent, et simul medicorum filias in matrimonium ducerent. Praecipue autem inclinatio ad mathematicam et musicam artes, quae etiam, ut in phrenologia doçetur in cerebro simul et iuxta iacent, saepius transmittitur. Beethoven, Mozart, Haydn, Carl Maria de Weber, Bach, Paganini, sorores Milanollo omnes habuerunt patres, qui musicam non solum cognoverunt et aestimarunt, verum etiam diligentissime exercuerunt. Vitia quoque animi transmittuntur. Testes sunt Tiberius, Caligula, Claudius, Nero, ex eadem familia orti. Et Nero ipse negavit, quidquam ex se et Agrippina nisi detestabile et malo publico nasci potuisse [16].

§. 8.

Imaginatio matris inter graviditatem magnam vim in liberos exercet. Nam turbavit interdum formatricis idolum et suum imprimere coëgit. (*Mercatus.*) Cu-

---

16) Sueton. Nero, cap. VI.

ius generis exempla narrant Carus, Klein, Burdach, Stark, v. Baer. Phantasia enim, quae ipsa est quodammodo genitrix, potest efficere interdum, ut quae optent aut timeant matres, in infante appareant. Ita *Malebranche* refert, mulierem quandam infantem contortis et fractis ossibus peperisse, quia in graviditate hominem nefarium rota elidi vidisset; et *Carus* narrat, mulierem gravidam saepius vidisse infantem labio leporino praeditum, et quum continua cogitatione sese vexasset, ut ipsius infans eodem malo laboraret, re vera factum esse. Sed interdum haec cogitatio non adest, et tamen fit, ut infans affectus alicuius signa in se ferat. Sic mihi avunculus est, cuius uxor in graviditate parvulam ampullam bene clausam a medico acceperat, quam magni aestimabat. Avunculus ut liquorem in ea contentam videret, ampullam paullulum attulit et subito e manu forte emisit. Eo uxor primum perterrita est, sed mox totius rei est oblita. Nihilominus puella post paucos dies nata, illam ampullam una cum obturamento in dorso expressam conservat. — In aliis casibus passiones, tanquam gaudium, terror, ira, metus, in graviditate ad infantem pertinent, fluxu et refluxu animi, diminuendo aut augendo vitalitatem.

§. 9.

Praeterea occupationes continuae et cogitationes animi certae ac definitae speciei, quibus mater graviditatis tempore indulget, infantis inclinationem ad

hanc illamve occupationem constituere possunt. Quae igitur mater gravida poësi indulget et continuo poëtarum libros non solum legit, verum etiam admiratione et inspiratione poëtica capitur, ad infantem illum poësis amorem plus minusve conferet. Idem valet, quando reliquis litteris, bonis artibus etc. etc. operam dat. —

§. 10.

Restant quaedam observationes, ad quas probandas longum est exempla proferre. Ipsas tamen adducam:

1) Mars et Aprilis menses nostra regione ad generandos liberos aptissimi videntur, ita ut in Decembre et Ianuario illi nascantur.
2) Animi corporisque dispositiones interdum magis ab avo ad nepotem, quam a patre ad filium transeunt.
3) Liberi natu minores saepe meliores ingenii facultates possident, quam natu maiores.
4) Quo maior natu pater est, quam mater, eo facilius dispositiones paternae in liberos transeunt, et vice versa.
5) Primi infantes ad patris, sequentes in universum ad matris magis similitudinem accedunt.

II. Pars pathologica.

§. 11.

Morbi non semper hereditarii sunt, quoad ad morbum, sed interdum solum ad praedispositionem et dispositionem. Dispositionem (Anlage) autem maiorem praedispositionis (Empfänglichkeit) gradum esse intelligo. Multi homines in felicissima conditione viventes, omni cura adhibita, impedire non possunt, quin in tuberculosin vel phthisin pulmonalem incurrant. In his dispositio adest. Alii hos morbos feliciter effugerunt, quamdiu omnia, quae ad vitam necessaria sunt, abunde possidebant, sed quando fato in ciborum et vestimentorum inopia, in frigido et humido aëre et domo vivere coguntur, tuberculosis apparet. In his, ubi exterior aliqua causa ad efficiendum morbum opus est, praedispositio adest. Alii in omni conditione, sive misera sive prospera, bonam valetudinem conservant. In his neque dispositio neque praedispositio adest. *Gaubius* etiam causam statuit alteram προηγουμένην seu praedisponentem seu seminia morbi, alteram προκαταρκτικὴν seu occasionalem.

§. 12.

Discernendi porro sunt morbi connati (angeborene), morbi connutriti (angesäugte), et morbi hereditarii (erbliche). Connati sunt morbi, quos infans

in utero contraxit, rebus noxiis, quae vitam infantis offendunt, effectos; hi ad posteros non transmittuntur. Sed tamen ad infantem transmitti possunt. Ait enim Fernelius: „Sic et animadvertimus, si gravidam medio gestationis tempore quartana febris adoritur, partum edi qui diu postea quartana febre conflictabitur, atque si nono ea mense pleuritide prematur, prolem gignit in pleuritidem quoque proclivem, quemadmodum et eius cui abscessus ex aure octavo mense proruperat, filium in omnem vitam habuisse purulentos aures." Connutriti morbi sunt ii, quos infans post partum lacte nutricis vitiosa accepit; nec hi quoque propagari solent. Hereditarii denique sunt ii, qui ab una ad alteram generationem transmitti possunt a parentibus ad liberos.

§. 13.

Morbi hereditarii hoc habent commune fere omnes, quod in certis quique vitae stadiis apparent, et quod seminia eorum iam inde a partu atque adeo antea in infante praeexistunt. Sed haec seminia diu saepe in corpore dormiunt, quia conditiones exteriores et interiores, quae ad morbi explicationem necessariae sunt, nondum in lucem prodierunt. Nam omnis morbus, qui hereditarius dicitur, primis vitae initiis quodammodo in corpore circumvagatur et nullo modo semper certum organum adoritur, quia saepe illud organum nondum ita crevit, ut morbus in eo loco sese firmare possit. Hominis enim organismus

a prima inde origine usque ad vitae finem certam ac definitam et immanentem legem et normam sequitur, id est, seriem regularem quarundam explicationum, ex quibus posterior semper series prioris existentiam ponit, hoc est, non cum organis et systematibus omnibus eadem vi et quasi ἐνεργείᾳ vivit, sed in diversis vitae stadiis unum organum post alterum perficitur et regnat, et quasi vivit ante aliud organum, donec in sequentibus stadiis regreditur, et alio organo regnum et principatum committit. Sic in infantia vigent praecipue pedes, in iuvene functiones pulmonum, in viro media corporis pars, in sene functiones cerebri. Iam a prima infantia dispositio ad phthisin pulmonalem existere potest, sed latet haec dispositio, neque apparet, et ne exspectatur quidem interdum, quia fundamentum et quasi fertile solum phthisis pulmonalis, id est, pulmones nondum elaboratae, finitae sunt. Quare iuveni imprimis cavendum est, ne haec dispositio ad morbum ipsum sese vertat. Sed illo stadio iuvenili feliciter praeterito, periculum plerumque superatum est.

§. 14.

Nec vero ad eos morbos, qui virilem aetatem adoriri solent, quique cum phthisi pulmonali connexi sunt, nimirum ad febrem intermittentem, hydropem, alios, periculum praeteriit. Nam eadem dispositio in infante febrem, in iuvene phthisin pulmonalem, in viro hydropem efficere potest. Praecipue tamen viro me-

tuendae sunt eae affectiones, quae ad hanc aetatem pertinent, tanquam vertigines, affectiones paralyticae, apoplecticae, nempe si in parentibus eadem fere aetate occurrebant. Quare rectissime *Stahl* [17]: „Si parentes aliqua aetate morbum, illi aetati congruum, insigniter toleraverunt, et illo maxime tempore infantem genuerunt, infans ille, quando illi aetati pariter appropinquare ipsi contigit, affectui illi eidem familiarius atque certius expositus observatur.“ Nam quo magis morbi hereditarii explicatio in parentibus generationis tempore processerat, eo facilius liberi inde inficiuntur; et tunc quidem inficiuntur facillime, quando ad ipsam illam aetatem pervenerunt, ita ut hic quodam modo regularem dispositionis typum observare possimus.

§. 15.

Imprimis autem hoc miror, saepenumero morbos inter generationem ita a parentibus in liberos transire posse, ut pater aut mater affectiones morbosas eodem tempore amittant, quo ad infantem eas conferant. Attamen etiam hoc observatur. Ita *Dumas* [18] dicit: „Dans certaines circonstances la transmission héréditaire des maladies semble épuiser leurs principes et affaiblir leur activité. Un homme, au rapport de Linné, était affecté depuis sa première

17) *Stahl*, de heredit. disp. ad varios affectus.

18) *Dumas*, des maladies chroniques. II, 295.

jeunesse d'une colique très-violente d'estomac ; il fut tout à coup délivré pour jamais de cette infirmité, en devenant père d'un fils, qui ne cessa d'être tourmenté par la même colique pendant toute sa vie. J'ai connu à Paris une jeune femme, dont les extrémités inférieures étaient habituellement couvertes de dartres croûteuses, et qui, ayant donné le jour à une fille qu'elle nourrit, ne conserva plus aucune trace de son affection dartreuse; mais il se forma sur le dos et les cuisses de l'enfant une éruption d'abord passagère, ensuite fixe et constante, qui prit le caractère dartreux, et qui dura jusqu'aux approches de la puberté." — Alia vero exempla huius rei non inveni, quare suspicor, rarissima illa esse.

§. 16.

Vera est sententia, eaque multis et doctissimis viris comprobata, naturali vitae progressu et explicatione eos semper morbos sanari aut potius solvi et opprimi, qui pertinent ad aetatem praeteritam. Quo circa aptissime *Bordeu* [19]) de pubertatis tempore: „On peut regarder cette époque orageuse dans les personnes de l'un et de l'autre sexe, comme la crise de l'enfance et de ses infirmités. Chaque révolution d'âge parait susceptible d'amener ou de favoriser un mouvement critique." Ita liberi, morbis subiecti infantilibus, ad quos dispositionem a parentibus acce-

---

19) *Bordeu*, Malad. chroniq. 110 u. 111.

perant, veluti epilepsiae, tumoribus scrofulosis, convulsionibus, narium haemorrhagiis, hydrocephalo, pubertatis tempore saepe eos penitus amittunt. Sed iisdem temporibus, quae tanquam crisin praeteritorum malorum existimare licet, alia eademque interdum graviora mala oriuntur, aut etiam, si eiusmodi erat affectio, ut per plura vitae stadia durare posset, iidem morbi, qui iam aderant, in deterius ruunt. Tales annos criticos *Nasse* docet esse annum vitae decimum octavum, vicesimum tertium, vicesimum octavum, tricesimum secundum. Elucet, liberos, qui in periculosis vitae stadiis pariuntur, dispositionem ad eos morbos secum ducere, qui illis sunt proprii.

§. 17.

Non omnes morbi pariter et eodem gradu a parentibus transmittuntur, verum animadvertendum est, a matre in liberos magis morbos qui cum nutritione cohaerent, qui irritabilitatem vero spectant a patre transire. Quare *Grimaud* [20]) concludit: „que la mère donne à ses enfans les maladies du systême nutritif, qui comprend les vaisseaux lymphatiques, le tissu cellulaire, les glandes, le cerveau, les nerfs; et que le père leur donne celles du système irritable, qui renferme le coeur, les artères, les veines, les capillaires, les muscles." Et *Cullen* eodem modo perhibet, matrem plus quam patrem ad productionem

---

20) *Grimaud*, Cours de fièvres. IV, 71.

rhachitidis conferre. A matre in universum transeunt in liberos: scrofulosis, rhachitis, inclinatio ad glandularum tumores et ulcera, struma, nervorum variae affectiones; a patre e contrario: haemorrhoides, arthritis, inclinatio ad inflammationes et febres, rheumatismus, lithiasis.

§. 18.

Morbi hereditarii non semper in liberis eadem forma, qua in parentibus, apparent, verum saepissime sese transmutant, ita ut interdum difficillimum sit, formam originalem et primariam agnoscere. Hoc modo scrofulosis matris rhachitidem infantis, epilepsia patris maniam in filio efficere potest. Refert iccirco *Dumas*: „Les maladies héréditaires dans leur transmission des pères aux enfans, prennent quelquefois un caractère bien différent de celui qui leur appartient avant ce passage. Un père goutteux a transmis des dartres au lieu de la goutte; la vérole se réproduit sous forme de rhachitis et d'écrouelles; mais le fond de la maladie héréditaire subsiste; il n'y a vraiment que sa forme qui soit changée.“ Etiam in eodem homine forma morbi commutari potest. Nam febris intermittens evanida in eodem homine phthisin tuberculosam efficere potest. Imprimis autem scrofulosis sub plurimis formis sese ostendere potest. Nam siculi hereditas est fundamentum iuris civilis, et morbi hereditarii, meo quidem iudicio, sunt fundamentum totius pathologiae, sic scro-

fulosis est fundamentum morborum hereditariorum. Apparet autem scrofulosis et transmittitur sub forma phthisis, rhachitidis, ulcerum, strumae, tuberculosis, steatomatum, hydrocephali; etiam siphilin quidam originis scrofulosae esse putant. *Piorry* [21]) tredecim homines scrofulosos se vidisse affirmat, ex quibus duodecim patres habuerint phthisicos, unusque ille qui supererat scrofulosus, a patre cancro laborante genitus fuerit. *Patouillet* observavit, nunquam scrofulosin unam alteramve familiam et generationem in qua hereditaria sit, praeterire. In aliis individuis sub forma arthritidis, in aliis sub forma concrementorum in felle et vesica, in aliis sub forma exostosis vel tumorum ossium procedit, quando levis aliqua et exigua causa externa et praedispositio advenit. Spectatur quoque sub forma exanthematum et impetiginum, ita ut vix ullam speciem inveniam quam exhibere et imitari non possit scrofulosis. Eius hereditas autem nuptiis et augeri et diminui paullatimque omnino removeri tollique potest. Nam quum scrofulosis praecipue duas formas generales exhibeat, torpidam et erethisticam, fortasse operae pretium est indagare, num fortasse torpida uxor, viro nupta irritabili, in liberis producat temperatum animum. Mihi quidem hoc fieri posse verisimile videtur. Phthisis, quae est altera forma scrofulosis, simili modo sub pluribus formis se propagare potest. Novimus enim

---

21) *Piorry*, de l'hérédité dans les maladies. Paris 1840.

phthisin pulmonalem, mesentericam, splenicam, hepaticam, quarum omnium causa et principium est tumefactio glandularum lymphaticarum per albumen et gelatinam. In aliis individuis hae glandulae lymphaticae tumefactae ad malignam suppurationem se vertunt, et mors brevi sequitur, in aliis indurantur, quando scrofulosis melius et salutarius progreditur, et vita per longam adhuc tempus resistere poterit.

§. 19.

Etiam inter epilepsiam, apoplexiam et maniam est affinitas quaedam et alternans hereditas. Nam observatum est, in eadem familia alterum infantem maniacum fuisse, alterum epilepticum, aut eundem hominem alio tempore fuisse epilepticum, alio maniacum, et per apoplexiam denique obiisse, quamquam et principium et fons epilepsiae et maniae in parentibus tantummodo erat scrofulosis.

Epilepsia quae facillime fit hereditaria, ita ut *Hoffmann* de ea dicat: „Neque est nullus morbus magis gentilitius et qui tam facile a parentibus in liberos devolvitur, quam epilepsia," apparere potest sub forma hysteriae in mulieribus et hypochondriae in viris. Ipsam autem novam quoque formam esse scrofulosis, quam omnino optimam ducem in labyrintho morborum hereditariorum puto, mihi persuasissimum est. Et sicuti scrofulosis similiter apud pauperos et opulentos invenitur, sic etiam epilepsia, quam non solum morbum infantum male nutritorum et in fri-

gido humidoque solo et aere corrupto viventum esse scimus, sed etiam morbum summorum imperatorum Caesaris et Napoleonis.

§. 20.

Nemo nostro tempore a dispositione ad morbum aliquem liber est. Neque enim cogitari potest, ullum mortalem semper tam sanos maiores habuisse, ut ii nunquam neque alterationem aliquam materialem sanguinis, neque vitiosam conformationem partium solidarum, ab anatomica modificatione illarum dependentem, quae res sunt creberrimae hereditatis causae, toleraverint. Sed temperies, coelum, vitae institutio, temperamentum, tranquillitas aut perturbatio animi, hanc dispositionem et augere et minuere possunt.

§. 21.

Quod ad vitiosam aut certe propriam solidarum partium conformationem attinet, valde est multiplex et saepe usque ad quintam vel sextam generationem extenditur, donec tandem evanescat et ad formam normalem et quasi ideam redeat. Eius autem causa non est virus aliquis, qui tamen interdum causa hereditariae sanguinis dyscrasiae esse videtur, sed aberratio quaedam est nisus formativi, quam definitionem *Blumenbach* primus introduxit. Sic Romae familiae exstiterunt, qui secundum propriam aut nasi aut labiorum structuram Nasones et Labeones vocabantur, et nostris temporibus Bourbonos nasum aquilinum, Austriae imperatores labium superius hypertrophicum

possidere constat. Memoriae prodit *Hippocrates*, Colchios infantibus neo-natis capita aliquantulum comprimere solitos esse, ut oblonga evaderent, quia hanc formam pulcherrimam putassent, sed paulatim capita oblonga inter liberos hereditaria facta, ac sine pressione inde ab ipso partu prolata esse. Aliae familiae corpus vel faciem magnam, aliae exiguam conservant, aliae emaciatae, aliae pingues, aliae ad senectutem summam perveniunt, aliae cito obeunt. In aliis facies rotunda, in aliis quadrata, in aliis oblonga, in aliis triangularis hereditaria est. Habent quarundam familiarum personae omnes amplum thoracem, dum aliae arctum et angustum tenent. Alii in musculis nasi et oris talem mobilitatem produnt, ut loqui nequeant, quin eos moveant. Sunt familiae in quibus tres testes, aut sex digiti hereditarii sunt. Possum plurima eiusmodi exempla afferre: demonstrant omnia, adesse, uti dixi, quandam aberrationem nisus formativi primitivi.

§. 22.

Piorry ait, nuperrime infantem cum duplice labio leporino et tribus tantum digitis in altera manu natum esse, cuius pater quoque tres digitos modo conservet, sed cuius duplex labium leporinum iam antea sanatum fuerit. Varicocele simul etiam in patre, filio et nepote observavit, sicuti homo quidam Hispanicus unam buccam crassam habebat, quod vitium a patre acceperat in eiusque avunculis eodem modo apparebat.

§. 23.

Morbi, qui facillime hereditate ad posteros propagantur, hi sunt: siphilis, arthritis, rhachitis, lithiasis, epilepsia, mania, hydrops, asthma, herniae, apoplexia, paralysis, plethora, haemorrhagiae, chlorosis, oliguhaemia, scabies, impetigines, carcinoma; hae affectiones omnes, uti supra narravimus, sunt variae formae et manifestationes scrofulosis, quae ipsa est aberratio et deviatio a niso formativo, primitivo, originali, a deo designato, et peccato conturbato.

§. 24.

Sed naturae legibus institutum est, ut aberrationes morbosae ad sanam formam originalem redire conentur, ne genus humanum depravetur. Ita *Blumenbach* ait: „dass in allen belebten Geschöpfen vom Menschen bis zur Made und von der Ceder bis zum Schimmel herab, ein besonderer, eingeborener, lebenslang thätiger Trieb liegt, ihre bestimmte Gestalt anfangs anzunehmen, dann zu erhalten, und wenn sie je zerstört worden, wo möglich wiederherzustellen." Haec igitur est prima via, qua natura mederi studet, secunda est coelum, temperies, clima, cuius mutatio interdum est unicum remedium meliorandi morbosam et hereditariam dispositionem. Tertia denique est, ut ii, qui morbo aliquo, qui hereditate propagari potest, laborant, sapientissime in eligendis coniugibus agant, ne quid liberi detrimenti capiant. Nam, ut egregie ait *Fernelius*, maxima ortus

nostri vis est, nec parum felices bene nati. Quamobrem praeclare humano generi consultum videretur, si soli parentes bene habiti atque sani liberis operam darent. Si enim agricolae sementem facturi purum semen seligunt, experti frugem malam e marcido percipi, quanto id diligentius in procreandis liberis observandum!

§. 25.

Quando in viro quodam magna ad morbum aliquem hereditarium dispositio viget, optimum est, ut sigillatio paullatim exstinguatur, illum uxorem ducere ex ea familia, quae ab illo ipso morbo remotissima sit, neque ullam cum eo prodat affinitatem, sicuti feminas aliis viris nubere. Elucet enim infectum accessu eius, quod purum et incorruptum est, corrigi posse. Quod quando per plures fit generationes, progenies paulatim minus ad illum morbum propensa erit, verum ad statum normalem et bonam valetudinem reducitur. Iccirco *Mercatus*, „vitia seminis," ait, „eo magis delitescunt et obscurantur, quo magis a primo genitore discedunt. Quippe in semine non solum continetur imago oculi, verbi gratia, paterni, sed et oculi aut cerebri avi aut proavi, nisi quod quo longius procedit, vetustate obscuratur et delitescit imago."

§. 26.

Quidam volunt, fluxum illum mulierum periodicum sanguinis, quem menstrua vocamus, nihil aliud esse, quam morbum hereditarium, quippe qui quum

semel antiquissimis temporibus evenisset, a plethora abdominali effectus, sese per filum non interruptum toti feminarum generi, consuetudine potius, quam materiali aliquo directo stimulo, communicasset, ita ut femina aliqua haberet menstrua, quia mater eius ea habuisset, sicuti femina aliqua est phthisica, quia mater phthisi laborabat. Atque re vera iam *Stahl* observavit, usitatissimam esse feminarum querelam, quando primam eruptionem mensium sive praecocem, sive iusto tardiorem habent, matribus suis pariter evenisse. Dicunt ad probandam illam hypothesin, animalia, in statu naturali viventia, huic haemorrhagiae generi non esse subiecta [22]. Quam tamen sententiam, tanquam non probatam, in medio relinquo.

§. 27.

Haud raro observatum est, si in aliqua familia singuli in alienationem mentalem, maniam, epilepsiam vel melancholiam incidant, reliquos nullam turbationem prodere, sed optima valetudine frui. Ita Dumas magis generaliter ait: „Il arrive souvent, que dans une famille nombreuse les maladies héréditaires n'affectent qu'un seul des rejetons et épargnent tous les autres. *Zacutus Lusitanus* a parlé d'une épilepsie, qui, pendant trois générations successives, détruisit tous les enfans d'une famille, à

---

22) *Roussel*, Système physique et morale de la femme. Paris. 1775, Seite 202.

l'exception d'un seul pour chaque génération." Atque adeo contingit, ut illi ipsi summis ingenii dotibus conspicui sint. Temperamentum enim exaggeratum summis ingeniis non raro proprium, ipsum est medium et confinium quoddam inter bonam valetudinem et morbum, ita ut, si parvus gradus addatur, morbus adsit. Quare ad magna ingenia formanda quodammodo morbosum aliquid postulatur. Iam Aristoteles ait, omnes ingeniosos melancholicos esse, multosque enumerat [23]). Ita porro notum est, Napoleonem cancro cardiae ventriculi, Caesarem epilepsia, Calvinum et Cromwellium febre intermittente laborasse. Quorum ambitio minor fortasse fuisset et gloriam haud tantam essent adepti, si illos in eorum constitutione fundatos morbos non perpessi essent. Nam illa ipsa affectio morbosa continuum erat incitamentum ingenii, et ambitiosam illam inquietem [24]) produxit, quo illustres facti sunt. Simile aliquid Iustinus Kerner [25]) refert de sua familia. Eius avia insana facta est et remansit usque ad mortem. Haec tres filias habuit. Prima erat mater ipsius Kerneri et eximiis mentis et animi dotibus praedita. Secundam melancholia invasit, sed ingeniosissima erat et peperit filios duos, quorum alter in insaniam quoque miserrimam cecidit, alter autem celeberrimus medi-

---

23) Cic. Tusc. quaest. 1, 33.

24) Nam post equitem sedet atra cura. Horat.

25) *Iustinus Kerner*, Bilderbuch aus meiner Knabenzeit. Braunschweig, 1849.

cus factus est; praeterea filiam peperit virtute et cultu praeclaram, quae in adolescentia nocte dormiens ambulabat, ipsa vero ingeniosissimum poëtam Guilelmum Hauff peperit. Tertia aviae filia insana fuit et caelebs obiit. Postquam *Kerner* haec facta commemoravit, sic concludit: „Ich führe diese psychischen Zustände einzelner Glieder meiner Familie auch besonders desshalb an, weil daraus hervorgeht, wie Wahnsinn, Somnambulismus und Dichtkunst miteinander verwandt sind, und eines oft aus dem andern hervorgeht. Das Gefühlsleben herrschte bei meiner Mutter durchaus vor, aber nie erlitt sie eine Störung des Geistes, es erzeugte sich in ihr kein Wahnsinn, aber wenn man mich so nennen will, doch in ihr ein Poete, und so war es auch bei *Wilhelm Hauff's* Mutter [26]." Dubitari igitur non potest, summum ingenium, summamque vesaniam inter sese habere affinitatem, spatiumque, quo separantur, esse arctissimum. Si quis plura desiderat exempla, adsunt Tasso, Swift, Cervantes, Pascal, Camoens, Rousseau, Byron, Burns, qui partim re vera in insaniam, partim in melancholiam inciderunt.

§. 28.

Restat, ut quae potissimum res propagationem

---

26) Eodem modo etiam dicit *Montaigne*, Essais II, 12: „Qui desment l'âme, qui la jette plus coustumièrement à la manie, que sa promptitude, sa pointe, son agilité, et enfin sa force propre? Dequoy se fait la plus subtile folie que de la plus subtile sagesse?'

alienationis mentalis aut adiuvare aut impedire soleant, breviter exponam. Primum aetas summi est momenti. Nam apparet et mania et dementia saepe in eodem vitae stadio, quo in parente erupit. Sic in una eademque familia et pater et filius et nepos, taedio impulsi vitae, ea sese orbarunt, postquam ad annum quinquagesimum venerunt. Porro quo saepius is, in cuius familia insania transmittitur, malam vitae rationem sequitur, quo crebrius vino aut veneri indulget, aut in ea conditione vivit, in qua perturbationes animi, veluti iram, invidiam, metum, rixam, effugere non potest, eo facilius mentis alienationi expositus videtur. Contra qui vitam degere possunt tranquillam, ab omni lite et tumultu remotam, qui etiam leves animi irritationes fugiunt, neque cogitatione nimia se vexant, verum modice et secundum certam et fixam aliquam normam viventes, harmoniam omnium facultatum conservare student, et, quod maximi pretii est, occupationem aliquam aptam sed neutiquam continuam sequuntur, dispositionem hereditariam et inclinationem ad maniam et dementiam evitare et omni vi privare possunt.

§. 29.

Infans aliquis, qui nascitur, priusquam parens in vesaniam incidit, tum in illam delabi videtur, si iam quidam ex consanguineis ea laborabant. Nullo autem modo si vesania in parente solum casu et fortuito, exempli gratia terrore, effecta est. Pubertatis tempore solet dispositio ad vesaniam in morbum ipsum

se convertere. Multum autem refert, quo mentis statu et qua temperatione pater tempore generationis infantis fuerit, num tunc praesertim melancholico et morboso vel hilari et sano animo fuerit.

§. 30.

Morbi epidemici interdum ab hereditariis vix differunt. Quare interdum dubium est, num morbus aëre et loco, aut parentibus sit effectus. Sed quando endemica aliqua causa diu in singulo homine inveteravit, hereditaria fieri potest. Hoc modo si pater in morbum aliquem lapsus est, quia constitutio domicilii et aeris eiusmodi erat, ut illum saepissime excitaret, haud raro accidit, ut filius, etiamsi illa constitutio prorsus mutetur, tamen hunc ipsum hereditate et accipiat et ad alteram generationem transferat.

VITA.

Natus sum *Nicolaus Henricus Simrock* Coloniae Agrippinae, die duodevicesimo mensis Maii 1825, a patre *Petro Iosepho*, mercatore, matre *Sophia Wilhelmina Elisabetha*, e gente *Peipers*. Fidem confiteor catholicam. Postquam per octo annos Gymnasium frequentavi Bonnense, dimissus inde cum testimonio maturitatis anno 1843 et inter cives almae Fridericiae Guilelmiae Rhenanae receptus, primum in iuris scientiam et philosophiam incubui, atque per annum unum praelectiones audivi virorum Cl. Cl. *Walter*, *Sell*, *Blume*, *Dahlmann*, *Schopen*. Anno 1844, Heidelbergam profectus, mutato studio, animum applicavi ad medicinam, scholisque interfui professorum Cl. Cl. *Tiedemann*, *Henle*, *Nuhn*, *Delffs*, *Jolly*, *Röth*, *G. W. Bischoff*, *Hagen*. Anno 1845 Bonnam reversum, per biennium me delectarunt scho-

lae virorum Cl. Cl. *Mayer*, *Weber*, *Naumann*, *Nasse*, *Wutzer*, *Albers*, *Hoppe*, *G. Bischof*, *Noeggerath*, *van Calker*, *Goldfuss*, *Pluecker*, *Treviranus*. Deinde Berolinum me contuli, ibique praeceptores habui Cl. Cl. *Romberg*, *Dieffenbach*, *Jüngken*, *Angelstein*, *Schmidt*, *Ideler*. Anno praeterito Bonnam inde redii et denuo praeceptores habui *Nasse* et *E. Bischoff*. Quibus omnibus viris, pro maximis in me beneficiis, pium gratumque animum servabo.

THESES.

1) *Meditatio pulsum retardat.*

2) *Est contagio psychica.*

3) *Nutritio est renovata generatio.*

4) *Phrenologiae scientia immerito neglecta.*

5) *Medicus bonus sine religione esse non potest.*

6) *Transfusio sanguinis saepius adhibenda est.*

7) *In curandis morbis diagnosis ante omnia statuenda est.*

8) *Sensilitas discernenda est ab irritabilitate.*

9) *Nihil refert, utrum Heidelbergae, an Bonnae, an Kiliae, an alio loco artem obstetriciam tractes: eadem semper scientia est.*